

DAVIDIS HENRICI

KOEPKENI,

Philos. & S. Th. D. illiusq; Profest.

PROGRAMMA

DE

INITIIS ACADE-

DEMIAE ROSTO-

STOCHIENSIS

Die ejusdem Natali,

*Initia Lectionum publicarum*

HISTORIARUM CULTORIBUS

INDICENS.



Rostochl, )

Typis Joh. Wepplingi, SER. PR. & Acad. Typ.

oll. diss. A  
87, 31

187 (31)

~~Handwritten scribbles~~

~~Handwritten scribbles~~

HISTORIARUM  
CULTORIBUS

S. P. D.

DAV. HENRICUS KOEP-  
KENIUS, D.P.D.P.



Vantum venerātionis,  
Commilitones in spem avi ef-  
florescentes optimi! priscae ætatis  
homines iis, quorum opera Col-  
legium suum institutum esse no-  
rant, nec minus dogmatum eo-  
rum, quæ imbiberant Autoribus  
exhibuerint vel vita functis, com-  
plurima literarum monumenta memoriæ prodiderunt.  
Epicurum quis ignorat famosissimæ illius sectæ condi-  
torem? quem suo de grege porci adeo profecuti sunt,  
ut quolibet mente, natali ejus die, qui erat vigesimus,  
sacra peregerint, quas terias inde *isadas* appellarunt, &  
in perpetuam Doctoris sui memoriam imaginem ejus  
annulo insculptam boni ominis causa circumtulerint,  
velut ex Plutarcho de Philosophorum sectis ostendit  
VOSSIUS(a). Judæis vero quam alte cultus eorum fuerit  
infixus, quibus vel instructionem vel etiam restauratio-  
nem cœtus sui debebant, vel sola Mosis, Esræ, Mardochei  
mentionem, ut plures alios taceam, comprobatum exi-  
stimo. Et sane quod ad rem ipsam attinet, si quidem  
honor

(a) in Operis Philologici Tom. III, pag. 296.

honor personis iusta in causa meritorum copia conspicuis, non simul obscurata, potius concelebrata omni contentione summi Numinis gratia, conferatur, quid incongruum, omniq; laude, vel majori etiam, atqve commendatione indignum, nondum video. Quo vero non jure omnibus svadendum nemo non sanus iudicaverit, ut eorum gloria perennet atqve admiratio, qui illustres illæ in Christiano orbe scholæ, quas *Academiæ* sex veterum loqvendi ratione insignimus, ut essent, non optarunt, sed pro Magnificentia sua effecterunt: eum in finem, ut non tantum artes atqve scientiæ perdiscerentur, ruditasqve hominum magis magisque exolesceret, sed etiam ut Christiani nominis unicum solatium hominum inculta denuo non prosterneret inlolentia. Hunc enim potissimum omnium scholarum esse scopum, nobis certissime persvademus, quem Gloriosissimi earum Conditores non minus respexerint, quã in adornando quondam Cathedrali Templo Magdeburgensi, & religione Pontificia subvertenda, verioriq; Lutheranorum introducenda Serenissimus Marchio Brandenburgicus & Archi-Episcopus postea Magdeburgensis JOACHIMUS FRIDERICUS 1567, in rei memoriam numo aureo signari iusso, cujus postica pars hæc Ecclesiastæ referret verba: *initium sapientia timor Domini* (b). Maximum profecto & indelebile est beneficium, quo non paucos illos Universitatis socios, sed omnes eos pientissimi conditores maclarunt, in quorum consortio politi sic in scholis suam explicant eruditionem. Et nunquam satis, vel ex hac ipsa causa deprædicari possunt summi illius Occidentalis Imperii restauratoris Caroli M. merita, cujus tere divina in condendis

A 2

dendis

(b) Vid. M. CHRISTIANI SCHLEGELI *Biblia in nummis* p. 162

dendis artium pietatisq; templis cōnanimā, atqve succes-  
 sus inauditos nulla unquam tenebricosa exedet oblivio,  
 Cujus vero præsens nos admoneat dies, pectori nostro  
 attentius paulo imittamus. Eadem hac, ante tot annos luce  
 anno nimirum seculi decimi qvinti undevigesimo, die  
 duodecimo mensis Novembris, is erat Profestus B.  
 Martini (c) Alma hæc, in cujus dulcissimis com-  
 plexibus hæremus, studiorum mater, florentissima,  
 nostra studiosorum Universitas, totius Meclenburgensis  
 terræ delictum, certissimumq; Ecclesiæ, tum quidem  
 nigricantibus superstitionum umbris immerfæ, at ali-  
 quando felicius emerfuræ seminarium esse cœpit. Me-  
 minit Herodotus testi cujusdam diei apud Ægyptios  
 solennissime celebrati, quem *Accensionem lucernarum*  
 dixerunt, quod noctu sub dio per universam Ægyptum  
 lucernæ sale imbutæ, oleo plenæ, ellychnio quam opti-  
 me instructæ accenderentur: eaqve luce luciferum, so-  
 lemq; orientem attingerent: hanc solennitatem in hono-  
 rem Vulcani viguisse, sunt, qui existimant, quo jure, qua-  
 ve injuria, ampliori instituto examinatum videas à FR.  
**FORTUNATO SCACCHO** (d). Equidē Civitati huic  
 merito foundationis Academiæ suæ dies, festū Accensionis  
 lucernarum dicitur, cum eodē præstantissimarum scien-  
 tiarū lumina in ejus pomæriis splendere cœperint. Hæc  
 vero tam egregia & nulla fati acerbitate summovenda  
 Munificentia, quæ nec his Meclenburgioris circum-  
 scripta, sed in commodum universæ Ecclesiæ collata,  
 cuinam

(c) Vid. Chronic. Rost. PETRI LINDEBERGII lib. III. c. I. p. 76.  
 Confer. Programma Rectoris & Senatus Academiæ Jubi-  
 læum Academiæ indicens Anno 1619. d. 26. Septembr. pu-  
 blicatum. Ejusdemqve invitatorium ad audiendas Orationes  
 D. Sturzi, D. Laurenbergii & Johannis Huswedelii.  
 (d) In sacrorum Elæochrismatum myrothec. o Imo, Cap. VI.

cuinā referenda sit? quæritas; sunt quos venereris Duces  
Megapolit. Inclyti, Sereniff. MAGNI illius vere magna  
Ioboles, JOHANNES & ALBERTUS, Patre ALBER-  
TO II. Sveciæ Rege post repudiatum Haqvinū electo  
natus, (e) qui principes natalibus suis, virtutibusque or-  
natissimi in tam laudabili dederunt societati. Imper-  
riam illo tempore administravit SIGISMUNDUS, He-  
ros plenioribus divinæ plane indolis argumentis mu-  
to fulgentissimus: habent enim, quod resplicæ ex  
ipsius gratia commodi receperint, habent, quo Eccle-  
siæ ex ipsius providentia divinitus exulta gloriari pos-  
sint. Sedem vero Romanam tegebat OTTO CO-  
LUMNA, nomine MARTINI post electionem die  
Martino sacra factam clarus. Quanti momenti nego-  
cia isthoc jura suo Petri patrimonio dicente acciderint,  
non unæ ejus seculi tabulæ significant. Nec fugiunt quæ-  
piam, quam acerbissimum post decessum INNOCEN-  
TII VII. de successione in Pontificatu certamen fuerit  
agitatū, appetente eā, qui Romanoru nixus auxilio fue-  
ra, Veneto quodam, ANGELO CORRARIO, quem  
GREGORIUM XII. salutarunt; nec minus illo BAL-  
THASARE COSSA, quem purpurati Bononiæ Pon-  
tificem dixerant, nomine JOHANNIS XXIII. præ cæ-  
teris autem ex electione Cardinalium Gallorum PE-  
TRO de LUNA, quem sub nomine Benedicti XIII.  
Pontificem Avenione Galliæ sedentem sui adorarunt  
(f). Contra quos tamen ex decreto Concilii Constanti-  
ensis

(e) ut falsa hinc observetur Genealogia SEB. MUNSTERI, in  
Cosmographiæ suæ lib. III. p. MCXX. ALBERTVM Sve-  
ciæ Regem absque prole defunctum docentis, Conf. in Con-  
trar. LOHMEIERI Princip. Genealog. Tab. XLI. (f) Conf.  
hic cum aliis B, D. PAVLI TARNOVII Orat. secularis 1619  
d. 14. Novembr, Rostoch, habita,

ēnsis stetit **MARTINUS**, in cuius laudes & vituperia  
hic nec tempus, nec locus nos investigare patitur: fa-  
cere tamen non possumus, quin ea, quibus se ipsum de-  
corare voluit, elogia proferamus, quo saltem quoddam  
iudicium subjici possit: **Der allerheiligste / und se-  
ligste / der die Gewalt hat über den Himmel / ein Herr  
auff Erden / ein Stul- Erbe Petri, ein Gesalbeter des  
HERRN / ein Herr dieses ganzen Rundes / der Könige  
Bater / und ein Licht der Welt ;** Florentinis inte-  
rim laudes ipsius paulo aliter habentes decantantibus,  
uti est apud **ZIGLERUM** à **Klipphausen** (g). Neces-  
saria, si non jucunda, hac occasione fuit orbis Principum  
mentio, quod singuli ad Athenæi hujus stabilimentum  
autoritatem suam contulerint. Accidit enim, ut Du-  
ces Gloriosissimæ memoriæ, communicato cum Ampliss.  
hujus Civitatis Proceribus consilio, è quibus ProConsu-  
les & Consules memorantur, Bullã à Pontifice **MARTINO**  
**Ferrariæ** per legatos nacti, illustre hoc Musarum domici-  
liũ, tempore superius significato, constituerint: Ubi cir-  
ca diem memorabile quidem est, vel in ipsa Acade-  
miæ fundatione honorem coeli tellurisq; potenti, Pa-  
pæ, uti se vocarat, habitum fuisse plane singularem,  
quod die Martini profesto eam initiari voluerint,  
certe in summiorem reverentiam **MARTINO**  
maximopere commendabilem. Vices autem Ponti-  
ficis in Martinali hac celebritate sustinuit Episcopus  
Sverinensis **JOHANNES** (h) qui ea qua pollebat au-  
toritate

(g) im **Schauplay der Zeit / M. Januar. d. 20. num. I. p. 162. seq.**

(h) Autore **AZARIA STURZIO** J. U. D. & Hist. Prof. in Orat. le-  
culari Ao 1619. d. 13. Nov. habita. Sed alio nomine eum profert.  
**LINDEBERGIUS**, nimirum **HENRICI Wangelin**, quod & agit  
**CRANZIUS** in **Vandalia**, & ex eo **STURMIUS** in annotatis  
ad **Calen.**

toritate, præsentibus aliis magnænotæ Viris, ex quibus  
Abbatem Dobbranensem HERMANNUM, & Civita-  
tis hujus tum quidem multo florentiss. Consulem specta-  
tissimum D. HENR. KATZOVIVM, LINDEBER-  
GIUS adducit, primum Rectorem solennissime  
precibus præmissis introduxit, PETRUM STEINBE-  
KIUM Philosoph. Doctor. & Theol. Baccalaureum, eu-  
jus Collegas, primos hujus Almæ Professores recen-  
set LINDEBERGIUS (i): de quibus id notatu dignum,  
quod soli tunc fuerint Philosophi, sicuti membranæ facul-  
tatis meæ exhibent. Non tamen omni simul gloria  
refulsit hæc nostra Parens, siquidem anno demum  
post fundatam Academiam octavo, qui fuit millesimus  
quadringentesimus vigesimus septimus, eundem Epi-  
scopū Sverinensem, (k) Cancellarium Academiae nostræ  
præstituit Pontifex, quod splendidissimum munus cum  
Principatu ad Dominum ac Principem nostrum Cle-  
mentissimum DN. FRIDERICUM WILHELMUM  
devolutum est. Ita nec omnium simul Facultatum  
Collegiis initio statim floruit Rosetum nostrum. Quam-  
diu enim Pontifex MARTINUS in vivis esset, res Aca-  
demiae eo deduci non potuit, Juris-Consultorum, Medi-  
corum & Philosophorum Collegiis ut Theologorum Or-  
do adderetur (l). Pro quo privilegia tandem Academia  
impetravit à successore MARTINI, EUGENIO IVto.  
cujus

ad Calendarium HONDORFII p. 837. quibus tamen mino-  
rem fidem nos habere jubet unius STURZII commendatio, quæ  
plurima sedulitate hanc solennitatem investigavit, & minores  
etiam circumstantias evolvere, quantum ipsi licitum fuit, voluit  
(i) l. c. lib. V. Cap. VII. p. 162. (k) quod aliter est apud LINDE-  
BERGIUM lib. III. Cap. I. p. 76. (l) Quamvis enim du-  
bitari possit, an etiam reliqua Facultatum Collegia præter phi-  
losophicum initio statim fuerint instituta, cum omnes illi

cujus Viri famam Patres Concilii Basileensis, magno la-  
ne cum opprobrio hominis Romanum Episcopatum  
tenentis, diffuderunt (m), obstetricantibus Fratibus  
Serenissimis JOHANNE, & HENRICO, Cognomine  
Pingvi, qui laudatissimis Gloriosissimi Parentis sui,  
quem cum ALBERTO primum Academiae hujus stato-  
rem annales monstrant, vestigiis inhæserunt, quæque  
ad exornandum hunc suum meclenburgi ocellum fe-  
cere, omni studio operaque compararunt, Cancel-  
lario tunc HERMANNO Episcopo. Annus jam ageba-  
tur seculi trigesimus secundus (n), cum post initia sua  
plenius ab omnibus quatuor facultatum Collegiis in-  
structa sic egregie eniteret. At magnam mox floris  
sui atque incrementi sensit decrementum, civitate in-  
testinis discordiis inflammata, anno 1437 (o), quæ Pa-  
tres Conscriptos urbe exire, & solum mutare jussit, qui  
tamen causa adeo non ceciderunt, ut potius id effice-  
rent, quo civitas ab Imperatore proscriberetur & Aca-  
demia simul Cives urbem relinquere juberentur. In  
quo cum segnius muneri suo satisfacerent, fulmen  
accessit Ecclesiasticum, quod nisi discederent, decre-

tum  
primi professores, quos LINDEBERG. numerat, fuerint Philo-  
sophi, malim tamen subscribere verbis laudatissimi nostri quon-  
dam Antecessoris B. STURTZII, qui sequentia habet: Constitu-  
ta est juxta bullam erectionis Ferrariæ in Italia obtentam, a  
Martino V. Pontifice Romano, anno 1419, in tribus, ut vocant,  
facultatibus, Juridica, Medica, & Philosophica &c. (m) de  
quo Confer. ZIEGLERUS l.c. sub 22. Febr. num. 2, p. 173. seqq.  
(n) apud eundem STURZIUM. (o) Vid. LINDEBERGIUM  
lib. V. c. VII. p. 162. cujusmodi incendium paulo ante foundationem  
Academiae non tantum hic Rostochii, sed etiam Wismariae, Lu-  
becæ & Hamburgi exarserat, feliciter tamen, quamvis diffi-  
culter admodum, extinctum. Vid. ALBERTIUM KRAN-  
ZIUM in Historia Vandal. lib. X, p. 351. & 361.



tum Basileensis Concilii illis non minus, ac Civitati jam incussum minatum fuit. Factum hinc, ut in vicinum Gryphicum oppidum secessionem facerent, Rectore Medico HELMOLDO ULYS EO, Duravit hoc innocentissimum, & maximè ipsi Academiae funestum exilium sex annos, quibus detritis Rostochium suum, sed proh dolor! nimis festinanter Academia nostra repetiit, licet non absque omni successu, civiumque, qui in prima quoque fundatione frequentissimi fuerant, non mediocri concursu (p). Hic ortus, hæc infantia fuit Varniaci Athenæi, quam si jam olim à LINDEBERGIO, aliisque paucis traditam, nec propterea hic illustrandam existimaveris, non majori æstimatione rem pensaveris, quàm si, quæ lingvæ, ut sibi haud falso ad seculi morem persuadent, rusticitas, vel ævi longinquitas, vel monumentorum raritas, digna cæteroquin assidua sedulitate, fere interstinxit, quod semel fuerint exhibita, & ex unicus illis fontibus haurienda, non iterum, ubi gratia eorum, haud levis foret, refovenda, hominum infantia dictitaret. Initia hæc, inquam, fuere *Commilitones Egregii*, ejus Academiae, cujus beneficio artium atque literarum ornatu mecum lactamini. & simul, quam incomparabili studio Principes, vetustissimo Heroum stemmate oriundi, hanc bonæ mentis Palæstram statuminarint, percepistis. Bardus vero sit, atque Burdo, qui tanti muneris gratiam non agnoscat; vestra sane magis emollita sunt pectora, qui quoties animum ad hæc vestra studia adjungitis, simul beneficentiam summorum Principum æstumatis, evehitis, veneramini. Est in orationibus B. DAVIDIS CHYTRÆI, Academiae nostræ ornamentum numquam intermorituri, illa quoque, quam in

B

primo

(p) Legatur LINDEBERG. l. c. d. 164. nec non B. STURZIUS l. c.

primo confessu Consistorii Rostochiensis, VIto Calendar.  
Aprilis, Anno 1571. habuit, quæ magnitudinẽ desideratissi-  
mi illius, per multos annos, beneficii, quod in constitu-  
endo iudicio Ecclesiastico Illustrissimi Principes & Do-  
mini JOHANNES ALBERTUS & ULRICUS, Du-  
ces Megapolitani condecoratissimi, Universæ suæ ditioni  
exhibu erant, exponit attentius considerandam: quanto  
magis illa Magnificentia nobis, totiqve posteritati fuerit  
commendatissima, quam in instruendo atq; adornando  
hoc Musarum contubernio, multorumqve iudicio-  
rum fonte, Fundatores ejus præ Celsissimi commonstra-  
runt. Igitur nemo est, cui non sanctum illud JOHAN-  
NIS & ALBERTI sit nomen: nemo, quem JOHAN-  
NIS & HENRICI memoria non tenerrime delectet.  
Quotquot Pindi nostri verticem, per amœnissimas  
Roseti hujus vias, conscendere voluerint, gloriam si-  
mul tantorum mortalium sua sponte disseminabunt.  
Verum enim vero nec grati erga Gloriosissimos Prin-  
cipes animi argumenta satis explicaverimus, nisi justo  
quoque beneficii tam excelsi usui omnem navemus  
operam. Quem in finem Templum quondam exædifica-  
ta arbitramur? nisi is fuerit, ut in iis Numen cultu at-  
que obsequio nostro dignum prosequamur? ita nec  
eam ob causam celebratissimum hoc Musarum  
Templum à Pientissimis Autoribus conflatum genero-  
sissima vestra pectora iudicabunt, ut leviori eas ani-  
mo colamus, potissimæ vero in popina horæ  
sepeliantur, honestioraque vitæ studiorumque subsi-  
dia nefarie decoquantur, sed potius, quo mentes perpe-  
ti literarum cultura ad virtutem componantur, inge-  
niaque ad suam ipsorum felicitatem ascendant. Ve-  
rum

rum non obscura hæc vobis sunt, *Amici dulcissimi!* nec  
 vestra ipsorum sententia ullus illi turbæ est color, quæ  
 hominum est certissima pestis,  
 Perpluit in cuius pectus Venus atque Cupido,  
 Cui mel postibulum est, meretrix ubi splendida  
 Thais,  
 Sandalii gerulæ, stabelliferæque puellæ,  
 Cistellatrices, cantrices, vestispicæque,  
 Cui sordent studia, at diludia turpia rident,  
 Qui patrum furantur opes, furantur amatæ  
 Spem frugis &c. (q)

Vobis vero ut patet ad virtutem aditus, ita dulcedinem  
 ejus enixe collaboratis occupare. Nec querulas quem-  
 quam voces fundere audimus, sibi difficili per salebras  
 anfractu esse enitendum, nimioque opere studiorum,  
 accessiones redimendas, postea quam ad munificen-  
 tissima Primorum Conditorum de Academia merita,  
 succedentium Principum magnificentissima accessit  
 promptitudo, qui sacrarium hoc suum splendidissime  
 exornarunt. Ut de aliis nihil addam, & quæ Civitatis  
 hujus Amplissimæ in Academiam sit benevolentia, in  
 præsentia non evolvam, noſtis, quæ Pindi nostri ex beni-  
 gnitate Serenissimi ac Potentissimi Terrarum Meclen-  
 burgensium Ducis, hodie regentis FRIDERICI WIL-  
 HELMI, DN. nostri Clementissimi, sit prosperitas? quis  
 vigor? Adeo nunc omnis literarum asperitas; omnis  
 sapientiæ acrimonia superiorum tam provida cura vi-  
 detur exspirasse, ut nil nisi doctrinæ amœnitatem a-  
 veatis, & leniori Musarum aura afflari maximopere,

Bz

veli-

(q) belleſic mores corruptæ indolis pingente SIGIS-  
 MUNDO DURFELDIO in Orat. ſeculari, 1619. d. 19.  
 Novembr. Roſtochii habita,

velitis. Itaque nec opus fuerit ad eorum cognitionem egregias mentes vestras accendere, quæ Vobis exponendi provinciam Serenissimus Meclenburgi Dominus Clementissime mihi demandavit. Gratia vero atque utilitas Historiarum tam late diffunditur, ut iners sit atque vecors qui non perspiciat. Est earum cognitio, veluti instructissimi cujusdam thesauri peruestigatio, & officinæ vario rerum apparatu ad prudentiam hauriendam coruscantis usus; quis non inardescat? quis egregiam illam in perscrutandis antiquitatum monumentis non anhelet? Sed non diutius Vos detinebo. Paucis ergo quæ mens mea sit, aperiam. Scripsit aliquot ab hinc annis, Vir admodum Reverendus, atque Ampliss. Dn. JACOBUS à MELLE Philosoph. Magister fulgidissimus, & in Civitate Imperiali Lubecensi ad Ædem B. Virginis Archi-Diaconus merentissimus, Fautor atque Amicus meus Æstumatissimus, pro ea quæ valet Historiarum peritia plane singulari, libellum Historicum, multiplici eruditione refertum, quem dixit *Archontologiam Pugillarem*; cumque non sine magna utilitate recentiore potissimum Historiam ad ejus ductum perdisci noverim, è re vestra esse judicabitis, hoc nitidissimum scriptum, publicis lectionibus, mecum attentius pervagari. Ego vero sicuti Optimi Maximi benignitatem mihi promitto, ita nec de Vestro, *Commilitones Optimi*, promittudine dubito, quæ dicentem sequi, solitoque favore prosequi velitis. Initium DEO V. capiam futuro Jovis die, hora antemeridiana IX. His Valet *suavissima perora!* P. P. MDCCIV. d. 12. Novembr.

Coll. Diss. A 187, muc. 37